


Q. H.
355, 18.

Π u
239

Q. B. V
MEMORIA
B. IO. CHRISTOPHORI RICHTERI
NVNQVAM INTERMORITVRA
DVM HOC ANNO REPARATAE SALVTIS MDCCCLIII
REPETENDA EST
PRAESVLEM MAGNIFICVM ET SVMME REVERENDVM
PATRES ITEM AC PATRONOS GRAVISSIMOS
ET QVOTQVOT PRAETEREA LITTERIS NOSTRIS BENE
CVPIVNT
VT
GODOFREDVM SAM. FROMMELTVM FREIB
IVVENEM BONAE INDOLIS
DE
CAPTA ANTEHOSTRECENTOS ANNOS CONSTANTINOPOLI
D. VI CALENDAS QVINTILES
MEMORITER DICTVRVM
BENEVOLE AVDIRE VELINT
DECENTER ROGAT
M. IO. ANDREAS LVTHERVS CONR

FREIBERGAE,
Litteris MATTHAEANIS.

136




Quanquam ea saeculi nostri est felicitas, ut rerum naturalium scientia maiora subinde capiat incrementa, et, si non ad summum euecta fastigium, proxime saltem ab eo abesse videatur: tantum tamen abest, ut confecta sint omnia, et in luce posita, ut multa potius, quae ad humanam imprimis spectant naturam, vel intacta plane, vel nondum satis cognita supersint, nobisque adeo cum DAN. HEINSIO exclamandi necessitas imponatur: Quantum est, quod nescimus! Non enim in regno gratiae tantum nobis offeruntur mysteria, quae sunt ὑπὲρ γέν, ὑπὲρ λόγον, καὶ ὑπὲρ πᾶσαν κατάληψιν, omnemque rationis humanae captum longe transcendunt; sed in regno quoque naturae, quod minerale, vegetabile et animale sub se comprehendit, nec minus in regno artis et fortunae, non paucae occurrunt res natura sua sublimes, in quibus plene peruestigandis eruditorum olim occupata fuit industria, et adhuc occupatur. Commemorarunt earum nonnullas *PLINIVS* in *historia naturali*; *C. Iul. SOLINVS* in *Polyhistore*, vel *rerum toto orbe memorabilium thesauro*; *Guido PANCIROLLVS*, de *rebus memorabilibus inuentis et deperditis*; *Io. IONSTONVS*, in *Θαυματουργαφία* naturali, et, qui imprimis magno industriae conatu, nec minori cum laude, in hoc argumento versatus est, *B. V. E. LOESCHERVS*, in libro *de memorabilibus Dei operibus in regno naturae, artis et fortunae*, cuius auctior editio nuper admodum denuo fuit procurata; ut alios, *REAVMVR*, *Gallum*, *DERHAMVM*, *Anglum*, ex nostratibus vero *WOLFIVM*, *THVMMIGIVM*, *BERGERVM*, *LESSE-RVM* alios, omittamus. Sed quantascunque physica nostro tempore fecerit progressionem, tantae tamen illae non sunt, ut, omnia phaenomena et effecta, vel in rebus extra nos positis, vel in corpore nostro, euenientia, rite nos explicare posse, existimemus. Vereor, ne si haec cogitatio animum nostrum subeat, nimis magnifice de philosophia naturali sentiamus, ac plus, quam praestare potest, de illa nobis polliceamur. Si quis modo abitrusum generationis nostrae negotium paullo accuratius secum reputet, is sane ingenue fatebitur, insuperabiles dari difficultates, quae doctrinam de hominis ortu undique premant. Receptam plerisque esse sententiam, uti omnium animalium, ita hominis quoque, generationem ex ovo fieri, ita, ut in ouulo materno integra corporis organici structura, utut maxime exigua, lateat, et nulla re amplius

plius, nisi partium explicatione atque euolutione, opus sit, inter omnes constat. Postquam autem, anno saeculi superioris septuagesimo septimo, Ant. LEEVWENHOEKIVS, ope praestantissimorum, quibus instructus erat, microscopiorum, in semine omnis fere generis animalium, innumerabilia detexerat animalcula, occasionem sibi datam esse, credidit, nouam quandam rationem excogitandi, qua arduum istud generationis conceptionisque opus explicaret. Primus tamen horum vermiculorum inuentor ipse non est, sed eos HIPPOCRATEM, suo iam tempore, sola rationis ope detectos, L. I. de *diaeta*, asseruisse, si vel maxime Senecae microscopiant per vitrum aqua plenum ad cognoscendos illos non suffecisset, haud ita pridem in *Commentar. societ. scient. Gotting. T. I.* docuit vir cl. Io. Matthias GESNERVS. Primam autem de hac re meditandi ansam dedit HAMMIVS, medicus, nullo scripto celebris, quem sibi semen virile, microscopio subiiciendum, attulisse et vermiculos viuentes demonstrasse, ipse fatetur LEEVWENHOEKIVS, *Cont. arcan. natur. detect.* Epist. CXIII. p. 61. Summa autem sententiae LEEVWENHOEKII, quam in primis in epistolis, ad Rob. HOOKIVM, *Christoph. VVRENIVM*, ac denique ad REGIAM SOCIETATEM LONDINENSEM missis, exposuit, huc redit: in semine masculino humano omniumque animalium, ipsorumque adeo insectorum, viua inesse animalcula, tanto quidem numero, vt in vna guttula eorum multa millia deprehendantur, quae, nisi oculo bene armato, propter paruitatem, conspici non possint. Ex ingenti horum vermiculorum numero, qui sub feminis forma in vterum proiiciantur, vnum tantum, vel interdum extra ordinem duos, vel plures, per metamorphosin illius animalis, ex quo veniant, induere formam, reliquos autem mori. Licet autem hoc assertum Leeuwenhoeckianum, visionem miram, et inanibus somnii simulacris non ab similem, POSNERVS in *Geneanthropologia* Tab. II. et phantasiae verminosae foetum, Io. *Christoph. LISCHWITZIVS*, in *Dissert. de ortu et propagatione hominis* §. LVII. p. 29. appellet: vltiori tamen ac circumspectae commendandum id esse obseruationi, alii sapienter iudicarunt. Vidit itaque haec animalcula, iam a. MDCCXXIII. vtut a se initio neglecta, Nic. HARTSOEKERVS, quod ipse memorat *Essais de Dioptrique et coniectures physiques* p. 227. vnde factum est, vt primam inuentionis gloriam, falso tamen, eidem nonnulli vindicarent.

dicarint. Vidit Carolus II. rex Angliae, teste LEEVWENHOEKIO *Anat. et Cont. II.* p. 8. Vidit Chr. HVGENVVS, in *Dioptrica, Prop.* 49. p. 228. Vidit Herm. BOERHAAVE. Conf. eius *Institut. medic.* §. DCLI. p. 327. Vidit non sine voluptate, aliisque spectanda exhibuit illustr. Chr. WOLFIVS, *Rat. praelect.* p. 206. *Experiment. T. III.* §. 99. p. 445. sqq. *Phys. german. P. I.* §. 440. p. 702. Vidit Sam. Christi. HOLLMANNVS, et, cum ante eorundem existentiam in dubium vocasset, ἀποψία erroris conuictus, ea omnino in quouis semine, etiam humano, reperiri, ingenue fatetur, *Introd. in vniuersam Philosophiam T. II.* P. II. c. II. §. 420. p. 482. Vidit Io. Frid. CARTHEVSER, et in Collegio physico dogmatico experimentali sexaginta et amplius spectatoribus ostendit. Vid. eius *Amoenitat. naturae P. I. Sect. IX.* p. 413. Vidit abunde illustr. Baro Albert. ab HALLER, *Not. ad Boerhauii Praelect. med. Tom. V. P. I.* p. 353. Vidit Io. Gottlob KRVGERS, *Phys. T. II.* qui Physiologiam complectitur, §. 469. p. 815. Vidit Iac. CARPOVIVS, in *Disquis. theol. philosophica de stamine humanitatis Christi P. I.* §. 13. p. 21. Calculum suum adiiciunt philotphi celeberrimi, Io. Christi. GOTTSCHEDIVS in *Elem. philos. P. I. Sect. IV. c. I.* §. 806. p. 428. sqq. edit. 2. Io. Henr. WINKLERVS in *Institut. philos. contempl. P. III. c. IV.* §. 1567. p. 944. itemque in *Institut. mathematico - physicis, experimentis confirmatis, P. VI. Sect. III. c. IV.* §. 1914. sqq. p. 613. sq. Consentit cel. medicus, physicus et mathematicus, D. Io. Andr. SEGNERVS in *Differt. medica περί τῶν σπερματικῶν ζῴων*, quam sub eius praesidio defendit auctor, Lud. Mich. DIETRICHS, Goett. 1736. ne quid de aliis addam, Illud tamen adhuc operae pretium est obseruare, Ant. VALLISNERIVM, italum, post alios, quos ipse recenset, licet systema generationis Leeuwenhoekianum impugnet, tamen fateri, se animalcula ista vidisse, in *Hist. generat. Paduae a 1721.* italico idiom. in 4 ed. P. I. c. II. Conf. *Noua litt. Lips.* a 1724. p. 749. sqq. Quod autem ad animantia ratione destituta attinet, in eorum plurimis sunt visa, utpote in cane, ariete, cuniculo, lepore, glire, capreolo, gallo gallinaceo, anate, pisce asello, pisce lupo, perca, tinca, truta, cyprino, rana, canero, aranea, musca, concha, ostrea, bombyce, et omnium facillime in lactibus piscium, et in vulgatissimo carpione. Vid. HALLERVS l. c. p. 352. Sunt autem haec animalcula, si de illorum figura loqui velimus, quam auctores *Aët. Erudit.* a 1686. p. 475. et KRVGERS l. c. Tab. XIII. fig. 1. aeri incidi curarunt, minima, anguillarum fere forma, parte anteriore varie tumida, posteriore in caudam desinentia minutissimam ac pellucidam, quae reliquum corpus longitudine quinquies, imo sexies, et gracilitate vicies quinquies vincat. Stupenda sane sunt, quae de illis narrantur, siue exilitatem, siue numerum, species: iniquum tamen foret, fidem omnem his obseruationibus virorum in arte peritorum denegare, nisi, illos aliquid humani passos esse, demonstraretur, quod tamen a quoquam adhuc factum esse, non

recordor.

X 338 0808



Inches
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black



Q. B. V
 MEMORIA
 RISTOPHORI RICHTERI
 VAM INTERMORITVRA
 REPARATAE SALVTIS $\epsilon\rho\rho\epsilon\epsilon\lambda\lambda\text{III}$
 EPETENDA EST
 IFICVM ET SVMME REVERENDVM
 AC PATRONOS GRAVISSIMOS
 AETEREA LITTERIS NOSTRIS BENE
 CVPIVNT
 VT
 M SAM. FROMMELTVM FREIB
 EM BONAE INDOLIS
 DE
 ECENTOS ANNOS CONSTANTINOPOLI
 ALENDAS QVINTILES
 MORITER DICTVRVM
 OLE AVDIRE VELINT
 ECENTER ROGAT
 NDREAS LVTHERVVS CONR



FREIBERGAE,
 eris MATTHAEANIS.

136

